COMMONITIO PASTORALIS

AD CLERICOS VENETOS

PRO VACATIONIBUS AUTUMNALIBUS.



VENETIIS

EX TYP. PATRIARCHALI ANTONII CORDELLA

Justum arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione. II. Petr. I. 13.



DILECTISSIMIS VENETIARUM CLERICIS

Salutem et Benedictionem in Domino.

Cum ad honestam animi corporisque relaxationem hoc Vobis tempus, ut moris est, concedatur, Nostrum esse ducimus, dilectissimi Clerici, Vos de nonnullis commonefacere, quæ ad clericalem vitam probe instituendam potissimum requiruntur. Quamvis enim sciamus Vos integris piisque moribus præditos esse, tamen pericula, quæ juventutem ut plurimum undequaque circumstant, Nos etiam timere jubent, ne forte quis Vestrum, si parum sibi caverit, aliquid mali patiatur. Accipite ergo benevole, ac defigite in animis vestris, quæ vobis ingenue ac simpliciter commendamus.

Si qui sunt in Vobis, qui autumnali etiam tempore in urbe morari soleant, hi quidem satis habent præsidii ad bene recteque vivendum in Constitutionibus synodalibus, ac pluribus Patriarcharum Decretis, quin aliis in præsenti admonitionibus indigeant. Verum cum plerique, ut puriori, ac liberiori aere fruantur,

absoluto studiorum cursu, rus convolent, atque in alias plerumqne immigrent Diœceses, ad hos præsertim verba nostra convertimus, ea potissimum ipsis indigitantes, quæ ingenuo adolescenti in sortem Domini vocato apprime conveniant.

Ac primum sciat unusquisque sibi minime abesse licere, vacationum causa, ante initium Septembris, aut post finem Octobris, neque iter aggredi, nisi prius a Parocho suo discedendi veniam obtinuerit, eidemque palam fecerit, quo se loci conferre, apud quos diversari, et quamdiu foris manere velit, aliaque id genus, quæ forte Parochus ab eo siscitabitur. Ubi vero eo pervenerit, quo intendit, nihil sibi potius ducat, quam ut loci Parochum adeat, eique operam suam se impigre præstiturum polliceatur in iis omnibus, quæ Clericum decent. Caveat in primis, ne cui se familiæ addicat, non solum quæ male audiat, verum etiam in qua alicujus ætas, vel sexus, vel minus probabilis vivendi ratio aliquam ipsius conscientiæ aut famæ jacturam intentet. In vestibus autem, in capillorum dispositione, in locutionibus, in incessu, atque in totius corporis habitu nihil unquam præseferat, quod sæcularem pompam, vel levitatem redoleat. Nam si Paulus ait uni-

versis Christifidelibus, *nolite conformari huic sæculo* quænam est quorumdam Clericorum insania, qui quasi probro habentes perhonorifica sui status insignia, adeo se cinædorum more componunt, ac poliunt, ut vix, aut ne vix quidem, a laicis hominibus secernantur? Quod quidem luculentissime ostendit, spiritum in eis vocationis ecclesiasticæ aut nunquam extitisse, aut penitus interiisse. Vos itaque, dilectissimi Clerici, ab hoc profano cultu quam maxime abstinete, ac mementote, Vos cum Dominum appellastis partem hæreditatis vestræ, Christum induisse, nec Vobis gloriandum esse nisi in cruce Domini Nostri Jesu Christi.

Quoniam vero præcipuum cujuslibet christiani hominis munus est pie ac religiose vivere, id Clerico multo magis proprium esse nemo procul dubio infitiabitur. Unusquisque propterea eam sibi vivendi legem imponat, quam ad fovendam interiorem pietatem plurimum conferre compertum est. Itaque matutinis, vespertinisque precibus, quibus clauso post se ostio, juxta dominicum præceptum, in cubiculo domus suæ quotidie aliquantulum vacabit, brevem saltem adjiciat sacrarum scripturarum, aut aliorum piorum librorum lectionem, nec non salutare meditationis, seu mentalis, ut

ajunt, orationis exercitium, quo spiritualis vita mirifice alitur, ac roboratur. Recitationem prætere a officii B. M. V., si nondum ad majores Ordines ascenderit, nunquam, nisi forte gravissima causa impeditus, omittat. Ita enim fiet, ut et validissimum Deiparæ patrocinium sibi comparet, et ad recitandas, cum oportuerit, horas canonicas facilius assuescat.

Jam vero, cum existimandum sit, iis præsertim, qui Ecclesiæ deserviunt, dictum esse a Christo Domino: *luceat lux vestra coram hominibus*: animadvertat Clericus, sibi præter interiorem, exteriorem etiam magnopere colendam esse pietatem. Quamobrem nullum, si fieri potest, præterire diem sinat, quin publice Sacro adsit, Cleroque se associet talari veste, ac superpelliceo indutus, si quando communes in Ecclesia supplicationes fiant, ac sanctissimum Viaticum deferatur infirmis. Dominicis autem diebus, præter Missam parochialem, cui, si opus fuerit, inservire curabit, aliam etiam audiat Missam, si comodum ei fuerit; ac studeat cum Doctrinæ christianæ, tum Vesperis, aliisque sacris functionibus interesse, præsertim si augustissimum Sacramentum populo adorandum exponatur. Nihil enim magis multitudinis animos offendit, quam Clericum ruri commorantem

in obambulationibus, in conviviis, in ludis, aliisque similibus nugis miserrime tempus terere, dum populus agrestis in domo Dei congregatus, religionis officiis perfungitur. Verum, quod maximum est, opportuno sibi delecto conscientiae moderatore, cujus ductu quam tutissime in viis justitiæ ambulet, infra quidem subdiaconatum saltem semel in mense, in subdiaconatu autem, et deinceps usque ad presbyteratum, singulis diebus festis suam peragat exomologesin, et sacra, si confessario videbitur, inspectante populo, reficiatur synaxi.

Pietatem proxime subsequitur studium: studium vero illud, quod cum jam absolutis, moxque inchoandis aliquam semper habeat conjunctionem, eisque quodammodo suppetias eat. Nam quædam in studiis ipsis intemperantia, quae nunquam iisdem in rebus mentem sinat conquiescere, sed eam modo huc, modo illuc abripiat, aut poeticis fabulis, et fictitiis historiis animum frangat, atque a severioribus disciplinis avertat, non minus coercenda est, quam immodica ciborum aviditas, qua nihil esse potest ipsi corporum valetudini perniciosius. Ea igitur sibi Clericus proponat studiorum genera, quæ cum utilium rerum cognitionibus virtutum etiam amorem secum af-

ferant, et dum in intellectu ignorantiæ tenebras discutiunt, opportunum quoque succrescentibus animi cupiditatibus frenum injiciant. In his itaque studiis nonnihil quotidie temporis impendat, et aliquem, si ferat occasio, monitorem, et doctorem adhibeat, quicum de iis, quæ legerit, identidem colloquatur, quæstiones instituat, et opportunas faciat animadversiones. Ne ullum vero diem omnino vacuum ab studiis abire patiatur, reputet animo secum ipse, tot ac tanta esse ecclesiastico Viro ediscenda, ut ei non antea studendi, quam vivendi finem facere oporteat.

At si omnia hæc fiant, dicet fortasse quispiam, Clericum nunquam minus otiosum, quam in ipsis autumnalibus otiis futurum. Longe aliter, Dilectissimi, se habet res. Neque enim ii sumus, qui Vobis nova onera, aut graviora, quam par sit, imposita esse velimus; neque id Vobis interdicimus, quod novimus semper et ubique studiorum cultoribus fuisse concessum. Adveniet fortasse, adveniet dies, cum et Vobis ad altiora evectis Ecclesiæ ministeria nulla amplius dabitur quies: interim vero nihil magis consentaneum ætati, et conditioni vestræ, quam ut intermisso aliquandiu scholarum cursu, eas Vobis recreationes paretis, quæ ingenuum,

et sacris initiatum adolescentem haudquaquam dedeceant. Nam quis nescit plura esse recreationum genera Clericis prohibita? Quippe quibus nefas omnino esset choreis, ac spectaculis theatralibus interesse, in venationum, et nundinarum strepitu versari, ad cauponas convivandi gratia divertere (quod quidem in aliquibus Diœcesibus adjunctam habet suspensionem a divinis ipso facto incurrendam, vehementer autem reprobatur in omnibus), iis indulgere ludis, qui sorte magis, quam industria reguntur, alia denique his similia adire loca, et inania captare solatia, quæ a pietate, mansuetudine, temperantia, gravitate, ceterisque Clerico propriis virtutibus quam maxime abhorrent. Verum et in iis, quæ Vobis congruunt, recreationibus, diligenter observandum est, ne plus temporis insumatis, quam æquum sit, ne comites habeatis, præsertim sequioris sexus, dubiæ fidei, incertæque famæ, aut aliquo vitio laborantes, neve id unquam committatis, per quod homines suspicari queant, vos propius ad sæcularem, quam ad ecclesiasticam vitam accedere. Postquam vero hæc omnia, quemadmodum exposuimus, adamussim exequuti eritis, ac tempus huc redeundi advenerit, quod nunquam, ut dictum est, exi-

tum Octobris prætergredietur; coram Parocho loci, ubi quisque rusticatus fuerit, se iterum sistet, et litteras ab eo petet ad Parochum urbanum, quæ autenticum testimonium faciant de bona ipsius conversatione, deque constanti ab eo adhibita diligentia in suis adimplendis muneribus.

Hæc habuimus, dilectissimi Clerici, quæ pro paterna, qua erga Vos affecti sumus, benevolentia et charitate, significaremus, Vos etiam atque etiam obsecrantes in Domino, ut ea, pro filiali vestra in Nos pietate, æqui bonique faciatis, ac tamquam rectissimam vivendi regulam, continenter, dum hinc aberitis, præ oculis habeatis. Id enim vester in primis, totiusque veneti Cleri honor postulat, qui haud mediocriter læderetur, si quis Vestrum in externa praesertim Diœcesi aliquam de se parum exploratæ vocationis significationem daret: id repetit sancta haec Ecclesia, cujus estis filii, quae cum semper felix optimorum sacerdotum mater extitisset, inenarrabili prorsus conficeretur moerore, si praeter paucitatem ministrorum, degeneres etiam deplorare nonnullorum mores cogeretur: postremo id a Vobis ipsi Nos expectamus, qui sub tanto curarum pondere contremiscentes, quem-